

tunc animus, quam id solum cogitet quod precatur. Ideo et sacerdos ante orationem praefatione praemissa, parat fratrum mentes, dicendo, Sursum corda; ut dum respondet plebs, habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud se, quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra adversarium pectus, et soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei, tempore orationis, adire patiatur. Obrepat enim frequenter et penetrat, et subtiliter fallens preces nostras à Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, et aliud in voce, quando intentione sincera Dominum debeat non vocis sonus, sed animus et sensus orare. Quae autem segnitia est alienari et rapi ineptis cogitationibus et profanis, cum Dominum deprecaris, quasi sit aliud quod magis debeas cogitare, quam quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri a Deo postulas, cum te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui cum rogas, quando tu ipse memor tui non sis? Hoc est ab hoste in totum non cavere; hoc est, quando oras Deum, majestatem Dei negligentia orationis offendere; hoc est, vigilare oculis et corde dormire, cum debeat christianus et cum dormit oculis, corde vigilare, sicut scriptum est ex persona Ecclesiae loquentis in cantico canticorum: Ego dormio et cor meum vigilat. Quapropter sollicite et caute Apostolus admonet, dicens: Instate orationi vigilantes in ea, docens, scilicet, et ostendens, eos impetrare, quod postulant de Deo posse, quos Deus videat in oratione vigilare. Orantes autem non infructuosis nec nudis precibus ad Deum veniant. Inefficax petitio est, cum precatur Deum sterilis oratio. Nam cum omnis arbor, non faciens fructum, excidatur et in ignem mittatur: utique et sermo, non habens fructum, promereri Deum non potest, quia nulla est operatiore foecundus. Et ideo scriptura divina instruit; dicens: Bona est oratio cum jejuniis et elemosyna. Nam qui in die iudicii praemium pro